



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### Maximi Tyrii Dissertationes

Maximus <Tyrius>

Lipsiae, 1774

Ioannis Wardi Ad Ornatissimum Virum Richardum Mead Medicum Regium  
Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51003)



IOANNIS WARDI

A D

ORNATISSIMVM VIRVM

RICHARDVM MEAD

MEDICVM REGIVM

P R A E F A T I O.

**C**um tibi, VIR PRAESTANTISSIME, noua haec  
 MAXIMI TYRII editio in primis debeatur, vt  
 sub tuis auspiciis in publicum prodeat, quae  
 tua est humanitas, permittes. Postquam enim morte  
 doctissimi viri, IOANNIS DAVISII, exemplar eius in  
 manus tuas deuenerat, pro singulari ac indefesso tuo  
 bonas literas adiuuandi studio typis vulgandi occasio-  
 nem primo quoque tempore quaesiuisti. Nulla autem  
 per annos bene multos sese offerente, accidit tandem,  
 vt eximii quidam et illustres viri, de incommodis, qui-  
 bus studia humaniora eorumque cultores hodie labo-  
 rent, solliciti atque inter se conferre soliti, magnas  
 difficultates, quas in libris doctrinae praesertim re-  
 conditoris edendis homines eruditi haud raro experi-  
 antur, inter alia tum forte reputarent. Hinc enim  
 causa timendi iis videbatur, ne alii scripta sua ingenti  
 literarum damno in scriniis occulta retineant; alii vero,  
 omni studiorum fructu priuati, a scribendo prorsus  
 deterreantur. Vt tanto igitur malo, quantum in se  
 esset, remedium adferrent, literasque inclinatas sub-  
 leuarent, pecuniae quadam summa a singulis collata,  
 SOCIETATEM ad libros sumptu suo ea conditione  
 edendos inire statuebant; vt cum tot exemplaria sint  
 vendita,

vendita, unde impensae editionis exsolui possint, reli-  
 qua in auctoris commodum cedant; qua demum ratio-  
 ne totum operis fructum sine ullo damno, aut facult-  
 atum periculo, ipse percipiat. Ut primum instituti  
 huius famae emanauit, ab omnibus eruditis domi foris-  
 que magno plausu est exceptum, et iam multi alii  
 huic societati se adiungere voluerunt. Dum autem  
 praeclarissimi isti literarum ac literatorum vindices in-  
 certi haerebant, a quo potissimum auctore inciperent,  
 percommode tu quidem, qui inter primos eorum fue-  
 ras, MAXIMUM TYRIVM proposuisti; quo nullus  
 sane magis opportunus esse potuit, utpote qui a doctis  
 licet diu exoptatus, et bibliopolis haud semel gratuito  
 oblatus, ab his tamen repudiatus esset, ne lucrum sci-  
 licet edendi sumptus minime compensaret. Rem igitur  
 probauit SOCIETAS, atque utiles libros in lucem  
 proferendi, qui alioquin forsitan ad perpetuas tenebras  
 damnarentur, facultatem iam praeberi, hoc exemplo,  
 ostendere voluit. De scriptore ita constitutum est.  
 Sed deerat adhuc, qui curam edendi susciperet. Hoc  
 itaque munus cum mihi commendare tibi placuerit,  
 tantum apud me voluntas tua valuit, ut quamuis aliis  
 negotiis haud parum tunc districtus, illud tamen non  
 recusauerim. Quid autem in hac altera editione paran-  
 da *ο παραδείτης* praestiterit, utinam sane suis ipsius verbis  
 expositum reliquisset. Sed nescio unde accidit, ut cum  
 Graeca auctoris ad duos potissimum codices manuscri-  
 ptos, alterum in regia Parisiis, alterum in honoratissimi  
 COMITIS OXONIENSIS bibliotheca seruatos, exegis-  
 set atque reformasset, notasque etiam perfecisset;  
 praefatione inchoata, substiterit, nec ad finem per-  
 duxerit. Ne quid autem ab ipso de hac re traditum  
 pereat, nouae Praefationis initium e codice illius de-  
 sumptum hic exhibebimus.

IOANNIS DAVISII  
PRAEFATIONIS FRAGMENTVM.

**L**icet elegans in primis et iucundus scriptor sit Maximus Tyrius<sup>a</sup>, eius tamen perparca reperitur apud veteres mentio. Hinc fit, vt de rebus ab eo gestis fere nihil habeatur compertum; nec qui fuerit annus ei vel natalis, vel emortualis, sat liqueat.

Eusebius quidem sic loquitur: Ἀρριανὸς Φιλόσοφος Νικομηθεὺς ἐγνωρίζετο, ΜΑΞΙΜΟΣ ΤΥΡΙΟΣ, Ἀπολλώνιος Στωικὸς Χαλκηδόνιος, Βασιλείδης Σκυθοπολίτης. Οὗτοι καὶ διδάσκαλοι Οὐρησίμου Καίσαρος γεγόνασιν<sup>b</sup>. Eadem refert Syncellus<sup>c</sup>. Et hinc Maximum nostrum studiis M. Antonini, qui Verissimus<sup>d</sup> vocabatur, praefuisse confirmat Ios. Scaliger<sup>e</sup>. Eum secuti sunt Dan. Heinfius<sup>f</sup>, Casp. Barthius<sup>g</sup>, Ioan. Ionfius<sup>h</sup>, aliique; sed, vt videtur, immerito. Hieronymus enim in *Eusebiani Chronici versione* sic scribit: *Arrianus philosophus Nicomediensis agnoscitur, et Maximus Tyrius. Apollonius Stoicus natione Chalcidicus<sup>i</sup>, et Basilides Scytho-*

<sup>a</sup> Maximum nostrum pulcherrimum scriptorem vocat H. Casaubonus, *Epist.* 578. Pariter elegantissimus suauissimisque scriptor philosophus dicitur Petr. Pantino ad *Apostolii* XIII. 19. Politus et elegans Lud. Cresollio, *Theatr. rhet.* II. 1. Auctor. in primis elegans in philosophia Petro Petito *Observ. miscell.* I. 20. Differentissimus philosophus Tib. Hemsterhusio ad *Pollucis* lib. IX. cap. 7. §. 110. Vide cl. virum Ioan. Clericum *Silv. philol.* cap. 6. Eidem viro doctissimo Maximus Tyrius elegantissi-

mus Plonicus vocatur, *Epist. crit.* IV. p. 115.

<sup>b</sup> In *Chronico ad Olymp.* CCXXXI. p. 213.

<sup>c</sup> In *Chronographia*, p. 351.

<sup>d</sup> Vide Capitulum in *Antonino Philos.* cap. 1, 4. Lamprium in *Antonino Diadumeno*, cap. 6. et Petr. Wesselingi *Observ.* I, 32.

<sup>e</sup> In *Notis ad Eusebium*.

<sup>f</sup> In *Observationibus ad Maximum*, p. 13.

<sup>g</sup> *Aduers.* I. II.

<sup>h</sup> *Hist. philos.* III. 9.

<sup>i</sup> Non opus est, vt cum Iorfio, *Descriptor. hist. philos.* III. 9. legatur *Chalcedonius*. Vide

lae.

thopolitanus, philosophi illustres habentur, qui Verissimi quoque Caesaris praeceptores fuerunt <sup>k</sup>. Presbyter itaque Stridonensis inter Antonini magistros, non Arrianum vel Maximum Tyrium, sed Apollonium et Basiliden numeravit, mutata distinctione, quia lapsum putavit Eusebium <sup>l</sup>. Praeterea Claudius Maximus, Antonini praeceptor, Stoicus fuit <sup>m</sup>, adeoque diuersus a Tyrio nostro, qui totus est Platonicus. Nam licet inter duas hasce disciplinas in plerisque conuenit; Taurus tamen philosophus, Maximorum nostrorum σύγχερος, contendit Stoicam sectam et sibi, et Platonice esse incongruentem, quod ex Agellio discimus <sup>n</sup>. At hoc errore foedior et immanior est alter, quem Fredericus Morellus errauit <sup>o</sup>; nam doctus ille vir eundem cum Tyrio fecit Maximum, Iuliani praeceptorem. Sed praeterquam quod insignem commisit ἀναχρονισμόν, siquidem ab Antonino Pio, sub quo floruit noster, ad Iulianum cc circiter annorum fluxerat spatium; τὸ παραβάτης magistro patria non erat Tyrus, sed, si Suidae fides <sup>p</sup>, Epirus aut Byzantium. Socrates autem tradit eum fuisse Ephesium, quem postea ὡς μαγυγανείας πείθοντα ὁ βασιλεὺς οὐαλεντιμιανὸς ἀναίρεθῆναι ἐκέλευσεν <sup>q</sup>. Sic et alii plures. Videatur Henr. Valesius ad *Anm. Marcellini* xxix. i. Qui vero factum, ut Maximum Tyrium magum dixerit Rich. Montacutius <sup>r</sup>, plane nescio. Certe prorsus imprudenter hoc effutiit homo vehemens. Nostrum tamen paullo superstitiosiore fuisse non equidem nego. Hinc fidem dedit fabulis, quas de Marfya Meandroque fluminibus tradidit

Iac. Sirmondum ad *Sidonii Apollinaris Carm.* II. 49.

<sup>k</sup> Pag. 168.

<sup>l</sup> Sic etiam Cassiodorus in *Chronico* p. 388.

<sup>m</sup> Vide Capitolinum in *Antonino Philos.* cap. 3. et cl. Gatakerum ad *Antonini* I. 15.

<sup>n</sup> *Noct. Attic.* XII. 5.

<sup>o</sup> Ad *Libanii Tom.* II. *Orat.* IV. pag. 175. et *Orat.* VII. pag. 218.

<sup>p</sup> In *Μάξιμος Ἐπειρώτης*.

<sup>q</sup> *Hist. eccles.* III. I.

<sup>r</sup> *Orig. eccles. Part.* I. p. 189.

<sup>s</sup> *Dissert.*

tradidit infulsum vulgus<sup>s</sup>; hinc oraculorum patronus existit<sup>t</sup>; et hinc fuit, quod Aesculapium et Herculem se vidisse vigilans somniarit<sup>u</sup>. Quid autem haec ad magiam?

Ios. Scaliger ad *Eusebium* n. MMCLXII. qui nonus est annus Antonini Pii, haec habet; *Maximus Tyrius tunc Romam primum venit, et διαλέξεις suas composuit. Bis enim Romae fuit, et in priori professione διαλέξεις illas edidit; unde vocat eas τὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ τῆς πρώτης ἐπιδημίας διαλέξεις.* At in huiusce viri maximi sententiam pedibus iuit eruditorum chorus. Sane Suidas Maximum διατρέψαι ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ κομμώδῃ diserte testatur<sup>x</sup>: ut eum Romae sub Commodō fuisse nullus dubitem. Nisi tamen fallor, Antonino Pio imperante, Romam peruenisse nostrum non euincunt rationes idoneae: nam quamvis Eusebius eum tunc temporis γνωρίζεσθαι, innotuisse vel celebrem fuisse, statuatur; locum tamen, vbi viuebat, haud omnino memoriae tradidit. Nec opus est, ut aduentum secundum fingamus, quod eius διαλέξεσι praefigantur verba τῆς ΠΡΩΤΗΣ ἐπιδημίας: nam πρώτη ἐπιδημία secundam non ponit; cum prima recte dicatur, quam nulla praecessit, licet altera nunquam sequatur. Hieronymus in *Heluidium*, pag. 312. *Primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus.* Seruius in *Maronis Eclog.* 1. 45. *Primus, id est, ante quem nullus sit.* Illa vero, quod obiter dicemus, *Epigraphe τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας* non ad omnes dissertationes refertur; sed ad septem tantum priores spectat, ut ex codice regio manifestum; easque solas exhibet *Mss. Vindobonensis y*. Reliquae φιλοσοφῶν indicem praes

<sup>s</sup> Dissert. VIII. 8.

<sup>t</sup> Dissert. XIV. 7.

<sup>u</sup> Dissert. XV. 7.

<sup>x</sup> In *Μάξιμος Τύγιος*.

<sup>y</sup> Vide *Lambecium, Lib. VII. cod. 10. et Necessarium in Libris philol. et philos. n. CCCXXXV. p. 158. seq.*

prae se ferunt; nec vlla regionis vel vrbis, in qua sunt habitae, nota signantur. Attamen, si modo coniecturam proferre licet, in locis Asiae Graeciaeque πολυανθρωποτάτοις aetatis suae maiorem partem videtur trans-egisse Maximus <sup>z</sup>. Nam praeterquam quod, vt ait Hocrates, τοῖς μὲν ἐπιδείξῃς δεομένοις αἱ πανηγύρεις ἀρμότισταιν <sup>rz</sup>, et Dion Chryf. δεῖ τὸν φρόνιμον ἄνδρα, ὡσπερ τὸν ἀγαθὸν ἰατρὸν, ὅπῃ πολλοὶ νοσῶσιν, ἐκείσε ἰέναι βοηθήσοντα <sup>a</sup>: certe ne minimam quidem prodit rerum Romanarum peritiam, licet eum in historiis Graecis versatissimum fuisse nulla fere non probet disertatio <sup>b</sup>. Vide, si vacat, Lud. Cresollium *Theatr. Rhet. lib. III. cap. 10. p. 206; cap. 14. p. 231 seq. et lib. IV. cap. 7. p. 409*. De variis editionibus Maximi Tyrii consulendus est vir praestantissimus, I. A. Fabricius <sup>c</sup>. Quid in hac praestare conatus sim, paucis exsequar.

Haec vir eruditissimus: quae tam rebus ipsis, quam ratione tradendi, ab iis haud parum discrepant, quae in prioris suae editionis *Praefatione* exposuerat. Quatuor autem annos ante mortem hoc opus confecisse clausula quadam *Notis* suis subiecta indicavit, vbi scriptum legitur, *Finis Martii xv, 1728*; cum ipse mensis eiusdem *xxii, 1732*, fati demum concesserit. Quaedam tamen curis posterioribus, et inter edendum forsan constituenda, reliquisse videtur. Nonnunquam enim vulgari lectione in auctore relicta, alteram e manuscriptis petitam notae initio apposuit, quam tuetur ac defendit; alias vero cum vulgarem lectionem tam apud auctorem, quam ad notae caput reliquerit, alteram

<sup>z</sup> In Phrygia certe fuit, quod testatur *Differ. VIII. §.*

<sup>rz</sup> In. *Ep. I. ad Philippum*, p. 600.

<sup>a</sup> *Orat. VIII. p. 131.*

<sup>b</sup> Huc pertinere censuerim, quae noster habet, *Diff. VII. §. 6. seq.*

<sup>c</sup> *Bibl. Graec. Lib. IV. c. 23. §. II.*

teram deinde laudat, ac potiolem sibi videri ostendit. Haec quidem raro admodum occurrunt, atque in rebus fere leuioris momenti; monuisse tamen necessarium duxi, ne alioquin incuriae nostrae tribuenda quis censeret. Porro etsi saepius accidit, vt lectionibus manuscriptis, quibus Graeca emendauerit, sensus loci haud parum immutetur; *Latinam* tamen *versionem* ad eas nunquam conformauit, vel minimum quidem a priori editione vsquam variauit; praeterquam quod in *Notis*, quomodo legi debeat, identidem monuerit. Vnde, prout antea exhibuerat, intactam se relicturum statuisse, fas est coniectare. Ad haec, cum *Epigraphen τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας*, *Dissertationibus* in omnibus editionibus haecenus praefigis solitam, ad septem tantum priores spectare regii codicis auctoritate confirmauerit; ea sede, quam minus recte occupasset, dimouendam iudicans, primae *Dissertationis* capiti ex codicis illius ordine, quem hic secutus est, vir perspicax non apposuit. Quanto haec priorem eius editionem, adeoque omnes omnium, quae lucem ante conspexerant, praecellat, cuius conferendo facile patebit; in qua vera mens auctoris locis quamplurimis haud dubie restituta est. Ceterum forte fortuna euenit, vt dum prelo suberat, vir doctissimus, IER. MARKLAND, quaedam in priorem editionem commentatus esset. Quare, si copia hanc inspiciendi sibi concederetur, antequam in publicum prodiret, si qua notatu digna restare viderentur, nobiscum se communicaturum perhumaniter promisit. Ex fama autem viri, mentisque acumine, quod in arte hac critica tot aliis lucubrationibus ostenderat, dubitari non potuit, quin ipse DAVISIVS, si in viuis fuisset, talem operis socium libenter esset amplexurus. Conditio igitur tam benigne oblata statim est accepta, vnde per ampla *Annotationum* eius accessione haec ditata est editio. Duobus *Indicibus*, alteri *rerum memorabilium*, alteri



alteri *Auctorum in Maximi Tyrii Dissertationibus laudatorum*, qui priorem claudunt editionem, tertius *Auctorum, qui in Iohannis Dauisii Notis emendantur aut notantur*, nunc est adiectus. Quandoquidem autem horum secundum clarissimus Fabricius in *Bibliothec. Graec. vol. iv. p. 39.* vbi de MAXIMO TYRIO agit, altero tanto longiorem dederit, quam hic conspicitur; vnde id discriminis euenerit, breuiter indicare haud ab re esse existimaui. Dauisius igitur eos solummodo auctores in hoc *Indice* posuit, quorum opera a Maximo laudata inuenerat, reliquis, qui passim apud eum occurrunt, in alterum *Rerum memorabilium* reiectis; quos omnes coniunctim in vnum retulit Fabricius. Quare dum vterque rationem operi suo congruentem secutus est, quae seorsim alter ediderat, sub vno aspectu alter postea collocauit. Haec sunt, quae praefanda mihi necessaria videbantur. Ne quid tamen, quod ex priori editione suppeditari possit, lector requirat eruditus, *Praefationem* ei praepositam hic adiungemus. Sin autem quae in prouincia hac exsequenda praestiterim, tuo hominis doctissimi iudicio non improbentur, de aliorum sententia faustum inde augurium praecipere licebit. Valeas, VIR OPTIME, et in patriae, literarum, tuorumque omnium commodum et ornamentum diutissime conserueris.

E coll. Greshamensi  
VIII. cal. Iul. 1740.

Ioannes Ward.

IOAN-